



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

Capvt XLVII. Quid, & quàm varia sint monstra? & num etiam in omnibus  
Mundi partibus reperiantur?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

Christianas virgines, ne dispendium virginitatis paterentur, martyrium oppetere maluisse, nefas esse clamantes, hominis cuiuscumque iungi confortio Christo semel desponsatas. Hic fructus nascitur ex infanti matrimonij consideratione, castitas, virginitas, sanctitas, gloria Agnum quocumque ierit sequentium. Carnis concupiscentia atatis officia defendit, decoris messem requirit, gaudet de contumelia sua: dicit virum necessarium sexui, ut auctoritatis & solatij causa, vel ut à malis rumoribus tuta sit. Et in aduersus consilia hæc eius adhibe sororum nostrarum exempla, quarum nomina penes Dominum, qua nulla forma vel atatis occasione preste, maritis sanctitatem anteponunt: malunt enim Deo nubere. Deo speciosa, Deo sunt puella: cum illo viuunt, cum illo sermocinantur: illum diebus & noctibus tractant: orationes suas velut doctes Domino assignant: ab eodem dignationem velut munera maritalia quotiescunque desiderant, consequuntur. Sic æternum sibi bonum Domini occupauerunt, ac iam in terris non nubendo, de familia Angelica deputantur.

Tertull. lib. 1.  
ad Vxorcm.

C A P V T XLVII.

*Quid, & quàm varia sint Monstra? Et num ea etiam in omnibus Mundi partibus reperiantur?*

**M**undum & Mundi inquilinos non morum duntaxat, sed nonnulli ipsius etiam naturæ errores videntur contaminare. Quod num ita sit, & quo Numinis iudicio fiat, paulò est à nobis examinatiùs inquirendum. Inter hos autem errores, potissimè sunt *Monstra & Monstrum*, quæ sine diuina voluntate non accidunt, atque ipsa raritate sua nos inuitant ad meditandum, rapiuntq; ad sapientissimi Gubernatoris Mundi æquissimam prouidentiam, cum maxima admiratione contemplandam. Quò digitum intendit regius Psalles, cum ait: *Venite, & videte opera Domini, qua posuit prodigia super terram.* Et alio loco: *Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinventiones eius. Cantate ei, & Psallite ei: & narrate omnia mirabilia eius.* Non erit

1  
Psal. 45. 9.  
1 Paral. 16. 8.  
Psal. 104. 1.

Kkkk 2 Hæc

hæc Agathonia cantio, quæ sola argumenti suavitate permulceat; sed vtiliter iucundam disputationem propinabit.

II.

*Monstrum* autem Grammaticis, quòd aliquid significando monstret, dictum, etsi aliqui inter animantia, siue homines, siue bruta, *Portentum* verò in rebus inanimatis duntaxat aiunt reperiri; parum tamen refert, de vtris id nomen vsurpes. Potest enim æquè aliquid in cælo, elementis, lapidibus aut metallis monstrari, ac in hominibus aut brutis portendi. Est igitur *Monstrum* vniuersim aliquid prater naturam editum, aut procreatum: vel, vt in scholis loquuntur, est effectum naturæ, qui deniat à recta consuetudine, secundum speciem, dispositione. Itaque quò magis deniat, magis est monstrum; & prodigij mensura, est erroris magnitudo. Sic

Iuuenal. Satyr. 2.

*Scilicet horreres, maioraq; monstra putares,*

*Si mulier vitulum, vel si bos ederet agnum.*

Herodot. l. 1.

Sic monstrum dictum est, quando Meles Sardium rex sustulit ex pellice leonem, homo illius parens, qui filius esse non potuit. Quamuis enim neque vitulus alioqui, neque agnus, neque leo est *monstrum*, si primum vacca, alterum ovis, tertium leona pariat; partus tamen isti, quando à progenitoribus suis in totum discrepant, in totum sunt *monstra*, quia in totum deniant à recta consuetudine, secundum speciem, dispositione. Ne autem in naturæ historia, Poëtica duntaxat autoritate, aut exemplo confictio niti videamur, testantur fide digni scriptores, aliquid simile euenisse. Nam ex muliere vitulum natum affirmat Isidorus. Idem affirmant alij factum apud Iudeos. Fertur enim,

Isidor. lib. 11.

Origin. Nipheph. l. 3. c. 4.

hist. Eccl. &amp;

Ioseph. lib. 7.

de bell. Iud.

cap. 12.

pro maximo vtrique monstro *habitum*, peperisse. Quanquam autem res ita se habeat, vulgò tamen magis *monstra* esse putantur, quæ non in totum, sed in partibus solùm diuersarum naturarum mixturâ à specie deerrant, vt puer capite aricino,

Aristot. lib. 4.

de generat.

animal. c. 3.

A. Gellius

noct. Artic.

lib. 9. cap. 4.

Vide &amp; Plin.

vitulus humano, ovis bubulo, equus asinino, nati, teste Aristotele; & Arimaspi, qui, ritu Cyclopi Homerici, vnum oculum in fronte gerunt; itemque qui sine ceruicibus oculos habent in humeris, vt recenset Gellius; & qui caninis capitibus, pro humana voce, latratum edunt: aut qui magis sunt vari-

gati

gati, vt cum regnante, apud Gallos Ludouico duodecimo, & sedente in pontificatu Iulio secundo, monstrum natum est, Rauennæ, habens cornu in capite, vtrinque alas, brachia nulla, pedem vnum, oculum in genu, vtrumque sexum, in medio pectore ypsilon, & crucis effigiem. Nimirum hæc talia oculo insueta, & in vno corpore diuersarum alioquin animarum organa, enormiora videntur, cum tamen re ipsa illa, quæ tota degenerant ab vno, vel vtroque genitore, plus errent, si cum specie illorum, & origine sua comparentur. Similior quippe est homini partus, qui aliquid habet hominis, quàm qui nihil. Atque hæc quidem, quid sint *Monstra*, docent. Videndum nunc est etiam, an talia, & quàm varia, itemque quibus in rebus occurrant? Illis enim negatis, nequicquam diuinæ potestatis, bonitatis, & æquitatis in ijs iudicia indagaremus: at enucleatè perspectis, exclamare nobis libebit: *Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis faciens mirabilia?*

Reperiuntur itaque eiusmodi inconuerti naturæ effectus, in omni propemodum rerum genere, in elementis, in lapidibus, in metallis, in plantis, in bestiis, in hominibus, apud quos non natura tantum errat, sed sapius etiam mores, qui à ratione deuij haud immeritò & ipsi *monstrosi* appellantur: sicut & aliæ quædam res insolitæ & inconuertæ. Artes autem, etiam quando monstra producant, si scite producant, non errant, sed id producant, quod volunt. Quare picti, aut sculpti Satyrisci, Tragelaphi, Hippocentauri, non tam monstra, quàm imagines monstrorum sunt appellandi. Quòd si quis, præter mentem suam, aut contra voluntatem, diabolum pingit, cum Angelum formosum destinasset, is effectus, non arti, sed imperitiæ artis est attribuendus. Vnde, si ad mentem pingere volentis attendamus, monstra possunt dici, sed artificis veriùs, quàm artis. Naturæ autem monstra, quæ non sunt præter mentem summi Opificis, sed præter peculiaris duntaxat naturæ finem, in omnibus subinde elementis gigni, immò non tantum supra nos in aëre, qui in sacris & profanis libris *calum* appellatur, sed etiam in cælo ipso superiore con-

Kkkk 3 spici,

lib. 5. cap. 8.  
lib. 7. cap. 2.  
Isidor. lib. 11.  
cap. 3.

Exod. 5. 11.

III.

Matth. 6. 26.  
& 8. 20. & 12.  
13. Plin lib. 2.  
cap. 28.

IV.

Math. 2. 9.

spici, historiarum narrant, docet experientia, oculi testantur. Nam, si quis cometas huc in aëre accensos & extinctos, huc in caelo sublimiore natos, aut eò tandem promotos, ex hac classe vult eximere; si & stellam, quæ Magos ad Christum natum utique prodigiosè perducens aliquid significando monstravit, atque extra naturæ ordinem astrorumque vias visa est per aërem decurrere; si novam illam, quæ, anno salutis nostræ 572. supra millesimum, per biennium, inter fixas stellas, in Cassiopea apparuit, stellam nullum extraordinarium naturæ effectum putat fuisse, ipse potest pro monstro haberi. In caelo etiam stellæ circa solis orbem visæ sunt, Augusto Cæsare, post mortem patris, in prima iuventa urbem intrante. Et circa solem arcus apparuit L. Opimio, & Q. Fabio Coss. Trini soles Sp. Posthumio, & Q. Minutio Coss. trinæ Lunæ Cn. Domitio & L. Annio Coss. splenduerunt. Denique, Christo moriente, quàm monstruosè sol est obscuratus? In aëre certè ipsa diuina litteratura imagines eiusmodi, quales sub initium Suedici belli pugnantiū inter se nubium, velut exercituum, conspectæ

2. Machab. 5. 2 sunt, *monstra* nominat. Ita enim loquitur: *Contigit autem, (Antiocho secundam profectionem in Ægyptum parante) per uniuersam Ierosolymorum ciuitatem videri diebus quadraginta, per aëra equites discurrentes, auratas stolas habentes, & hastis, quasi cohortes, armatos, & currus equorum per ordines digestas, & congressiones fieri comminus, & scutorū motus, & galeatorū multitudinē gladijs districtis, & telorum iactus, & armorum armorum splendore, omnisq; generis loricarum. Quapropter omnes rogabant in bonū MONSTRA conuerti. Itaq; & in ipso calo stella repente nascuntur, ait Plinius, & stella noua Cassiopeæ, & illa vetus stella Veneris, quàm D. Augustinus, ex libris M. Varronis refert, sub rege Ogyge, magnitudinem, figuram, & cursum mutauisse, & nuper visi satellites Iouis, & si quid aliud insoliti natura in astris, aut sub astris parit, testantur vel monstra subinde quædam inibi, vel monstruosa emergere. Qualia non Machabæorum duntaxat liber, aut Danielis Prophetæ, qui arietem vidit multicornem, sed etiam profani scriptores referunt. Plinij hæc sunt: *Armorum crepitus, & suba sonitus auditas**

Daniel. 8. 3.  
Plin. l. 2. nat.  
hist. cap. 57.

celo, Cimbricis bellis, accepimus, crebrosq; & prius, & postea. Tertio verò consulatu Marij, ab Amerinis & Tutertibus spectata arma caelestia, ab ortu occasuq; inter se concurrentia, pulsas, qua ab occasu erant. Ipsum ardere calum, minimò mirum est, & sæpius visum, maiore vi ignis nubibus correptis.

Quod si pro monstro habendum est, & igni, & aëri ascribi potest. Vti & quando cælum sanguinea specie apparuit, Philippo Græciam inuadente. Nec non ille clypeus, qui ardens ab occasu ad ortum scintillans transcurrit, solis occasu, L. Valerio, C. Mario Consulibus. Quin & scintillam è stella cadere, & augeri terra appropinquantem: ac postquam luna magnitudine facta sit, illuxisse, ceu nubilo diei: dein cum in calum se reciperet, lampadem factam, semel unquam proditur, Cn. Octavio, C. Scribonio Coss. Vidit hoc Licinius Syllanus proconsul cum comitatu suo. Imminente Romanis primo ciuili bello, ignis ex hastis subito emicuit, qui vix potuit extingui. Vidi nocturnis militum vigilijs, ait idem author, inherere pilis pro vallo fulgorem effigie ea, & antennis nauigantium, alysq; nauium partibus, ceu vocali quodam sono insistant, ut volucres sedem ex sede mutant: graues, cum solitaria venere, mergentesq; nauigia: si in carina ima deciderint, exurentes. Gemina autem salutaros, & prosperi cursu prænuncia, quarum aduentu fugari diram illam ac minacem appellatamq; Helenam, ferunt. Et ob id Polluci & Castori id numen assignant, eosq; in mari deos inuocant. Hominum quoque capita, vespertinis horis, magno presagio, circumfulgent. Omnia incerta ratione, & in natura maiestate abdita. Hæc ille. Tametsi & Theologi, & Philosophi multa è naturæ maiestate eruerint, quæ non semper sunt censenda propriè monstra, quia à recta consuetaque secundum speciem dispositione non deuiarunt. Hominum non capita solum, verum etiam reliqua membra, nocturnis, præsertim frigidioribus horis, fulgorem; ac veluti scintillantes stricturas iaculari, cum diloricantur, sæpius experti sumus, exhalationibus calidis tunc exilientibus, & per antiperistasin, frigoris, se se accendentibus, quæ interdum collectæ conclusæque latuerunt. Quo pacto fortasse Seruio Tullio adhuc puero dormienti flammam circa caput emicuisse domestici oculi anno-

V:

Idem lib. 2.  
c. 34. & seq.

Ibid. c. 37.

li anno.

- Val. Maxim. lib. 1. cap. 7. li annotauerunt. Quanquam non potest negari, plurimos Sanctos, diuina etiam vi radiasse, claraque in luce refulsisse. Ob quàm causam etiam Diui pinguntur capite radiofo. Neque enim Angeli duntaxat explendescunt ad eum modum, quo luxit is, cuius *aspectus erat sicut fulgur*, sed etiam homines sancti, vt Moyses cuius cornuta facies insolitam lucem faceretque iaculans filios Israel exterruit; & ipse sanctus sanctorum, cuius *facies resplenduit sicut sol*. Sed facile est ei, lucem producere, qui ipsum condidit solem. De Castore & Polluce, etiamnum nauigantibus omen ferentibus, copiosè disputat, in sua Peregrinatione Hierosolymitana Illustrissimus Princeps Nicolaus Raziuilus. Meteora ignita talia posse, Philosophi ostendunt; solere, multi oculati testantur; Deos non esse, fides & Theologi docent: dæmones subinde esse malos, quin & bonos Genios, pronum est æstimare; certum est, bonum Angelum sub prodigioso igne fuisse, quando Moyse apparuit *De minus in flamma ignis de medio rubi: & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur*. Excitatus igitur nouitate rei dixit: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus*.

## VI.

- Sed ab ignibus ad aërem reuertamur, varijs pluuiarum monstris insignem. Siquidem *præter hæc, inferiore calo relatum in monumenta est, lacte & sanguine pluisse M. Acilio. C. Porcio Coss. Et sæpe aliàs carne, sicut L. Volumnio, Seruio Sulpicio Coss. eamque non perputruisse, quod non diripuissent aues. Item ferro in Lucanis, anno antè, quàm M. Crassus à Parthis interemptus est, omnesque cum eo Lucani milites, quorum magnus numerus in exercitu erat. Effigies quæ pluerat, spongiarum ferè similis fuit: aruspices cauenda præmonuerunt superna vulnera. L. autem Paulus, & C. Marcello Coss. lana pluit, circa castellum Carissanum, iuxta quod post annum T. Annius Milo occisus est. Eodem causam dicente lateribus coctis pluisse, in eius anni acta relatum est. Celebrant*
- Ibid. cap. 58. *Græci Anaxagoram Clazomenium, Olympiadis septuagesima octauæ, secundo anno, prædixisse caelestium litterarum scientia, quibus diebus saxum casurum esset è sole. Idque factum interdum, in Thraciæ parte ad Ægos flumen. Qui lapis etiam nunc ostenditur magnitudinæ*

guitudine vehis, colore adusto, comete quaque illis noctibus flagran-  
te. Quod si quis pradietum credat, simul fateatur necesse est, ma-  
ioris miraculi diuinitatem Anaxagora fuisse: soluiq; rerum natura  
intellectum, & confundi omnia, si aut ipse sol lapis esse, aut vniquã  
lapidem in eo fuisse credatur, decidere tamen crebro non erit dubi-  
um. Pluias sæpe cecidisse portentosas etiam Sanctorum histo-  
ria confirmant; lapidem è sole lapsum, Anaxagoræ fabula  
est, tamen in Abydi gymnasio ex ea causa cultus dicatur.  
Mirum est, si non & lucem fudit, & tanto casu libratus se aut  
subiecta rumpens altè terram subijt. Posset fortasse color huic  
fabulæ addi ex Peucero, qui scribit, paulò ante initium belli  
Peloponnesiaci ingentem cometem, post solis occasum eni-  
tuisse, & continuos 75. dies exarsisse: mox tantam ventorum  
coortam vim, vt fragmen à monte auulsum in sublime abri-  
puerint: quod, vbi ad urbem Thraciæ Ægospotamon deci-  
disset, è cælo fuisse præcipitatum, creditum esse. Sed fabulæ  
fabulis non fulciuntur. Et suppetunt alia monstra, vt non  
necesse sit, à fabulis opem flagitare. Nam de B. Lupo Episco-  
po & Confessore, apud Senonas, refertur, præfente clero,  
quadam die, eo sacris altaribus astante, lapsam esse cælitus  
gemma in eius calicem sanctum; similiaque complura pos-  
sent recenferi, miraculosa potiùs, quàm monstrosa. In aère  
quoque alia multa euenerunt, sed illa alium sibi locum po-  
stulant; & sufficiunt, quæ dedimus, quæque de admirabili  
auium genere passim narrantur, vt de auibus bina capita ge-  
rentibus, & de anseribus venenatis, qui in Pfylenfi regione  
conspiciuntur in alto quodam monte, vbi est lacus, quem ex  
lachrymis Adami & Euzæ, cum ab angelo è Paradiso expulsæ  
essent, ortum fabulantur. Et quia de aquis loqui cœpimus, ad  
aquis porro eamus.

Aquis sua monstra esse quis dubitet, cum nonnullæ vel  
ipsæ sint monstrosæ? Nam nec aquarum natura à miraculis ces-  
sat. In Ciconum flumine, & in Piceno lacu Velino lignum deiectum, la-  
pideo cortice obducitur: & in Surio Colchidis flumine adeò, vt lapi-  
dem plerumq; durans adhuc integat cortex. Similiter in flumine  
Silaro, ultra Surrentum non virgulta modo immersa, verum &  
folia

Casp. Peucer,  
de Meteorolo-  
fol. 252.

Montenill.  
pag. 173.

VII.

Plin. lib. 2.  
nat. hist. c. 116.  
Plura de mi-  
rabilibus  
aquis in  
idem lib. 31.  
c. 1. & seq.



folia lapidescant. In Dodone Iouis fons cùm sit gelidus, & immer-  
sus faces extinguat, si extincta admoveantur, accendit. In Ilyris  
supra fontem frigidum expansæ vestes accenduntur. Iouis Ham-  
monis fons interdum frigidus, noctibus feruet. In Falisco omnis aqua  
pota candidos boves facit: in Bœotia amnis Melas oves nigras: Ce-  
phissus ex eodem lacu profluens, albas: rursus nigras Penius, rufi-  
fasq; iuxta Ilium Xanthus, unde & nomen amni. In Ponto fluvius  
Astaces rigat campos, in quibus pasta nigro lacte equa gentem  
alunt. In Carrinensi Hispania agro duo fontes iuxta fluunt, alter  
omnia respuens, alter absorbens. Amnes retrò fluere, & nostra  
vidit atas, Neronis Principis annis supremis. Hæc si naturæ sunt  
opera potius, quàm monstra, sunt tamen mirabilia; neque  
omnia seruant naturæ tenorem, cui saltem aduersum est, vt  
flumina in caput reuocent liquorem, nullo terræ motu exte-  
rita. Neque solita lege accidit prodigium, vt cùm Dionysius  
iunior suo principatu pelleretur, mare, vno integro die, dul-  
cesceret.

## VIII.

In ipsis autem aquis, vel ab ipsis haud rarò vera mon-  
stra proueniunt. Vt enim immania illa, & sua se vastitate,  
prodentia mendacia hinc non immisceam, quæ Lucianus, in  
duobus libris *verarum historiarum* recenset, ex vero notus est  
S. Maclouij piscis, pro insula habitus, in quem & vectores  
excenderunt, & S. Maclouio sacrificanti adfuerunt. *Mena*  
*Egypti præfecturam gerente, in Nilo flumine mira quadam &*  
*inopinata apparuerunt. Nam cùm Præfectus hic in locum Egy-*  
*pti, qui à figura elementi Delta nomen accepit, negotij causa venis-*  
*set, maneq; ad litus accessisset, ab imo fluuio vir obstupefenda mi-*  
*lis emerfit, facie gigantem referens, truci aspectu, coma subflaua,*  
*canis intermixta. Mala, quales habitiorum, & ad palastra insti-*  
*torum esse solent. Lumbi uantici, pectus validum, tergum latum,*  
*quale herosum, brachia torosa. Porrò vsque ad naturam sese sta-*  
*bandum præbebat: reliqua membra aqua cooperiebant. Imitaba-*  
*tur enim virum pudentem, nolentemq; partes illas liberorum præ-*  
*creationi idoneas spectantium oculis exponere. Huuc contemplatus*  
*Alexandria, siue Egypti Præfectus, crebrius adiurat, vt, si qui-*  
*dem è demonibus sit, spectatores illatos dimittat, & quiescat. Sio*  
*aliquid*

Theophyla-  
tus Simocata  
lib. 7. tri-  
storiz Mau-  
ritij Tiberij  
In p. c. 16.

aliquid natura opificio productum, ne antè se subducatur, quàm omnes presentes intuen- do oculos animosq; satiauerint. Rumor fuit, eum ipsum fuisse Nilum, Poetarum fabulis nobilitatum. Hoc igitur Niloticum animal (hominem enim dicere vereor) adiurationibus obligatum, diutius in aperto mansit, corpusq; videndum omnibus ob- iecit. Tertia hora post etiam ex undis recta emergit mulieri simile animal, quod ipse vultus femineus, glaber, item mamma, coma, qua partim in nodum collecta, partim soluta pendebant, totaq; corporis apparentis constitutio indicabant. Famina erat pulchritudine exi- mia: capilli nigri admodum; facies candidissima; nasus belle for- matus; digiti elegantes; labia rosea. Sororiabant ubera, & pa- pilla à recenti pubertate aliquantum prospicere, ac se se exertare videbantur. Locos autem aqua tegens ab aspectu remouebat, my- steria cubilis ab intuentium luminibus, tamquam arcanis nondum initiatorum abscondens. Praefectus igitur, & circumfusa cohors, usque ad occasum solem, spectando voluptatem capiebant. Immi- nente iam nocte visa illa in ima aquarum, unde extiterant, descen- dunt, cum se cupidè lustrantibus vocem quodammodo eripuissent; ita alium omnes admirabundi silebant. Hæc Theophylactus Simo- catta, Iacobo nostro Pontano interprete: qui & mox subiun- git: De animalibus Nili, humanam figuram referentibus, vete- res conscripserunt. Siue autem dæmones aquatici, siue homines Nilotici, siue alia quædam animalia hæc fuerant, pro mon- stris certè aquarum habebantur.

Et fuerint phantasmata ista, veris tamen monstris alijs pluribus abundat aqua, &, siue magnitudinem, siue figuram, siue raritatem spectes, maximè admirandis. Vt enim taceam illa antiquiora, Bizarrus refert, in vrbe Cæta Idibus Maij An. Christi 1563. eiectum & ad littus inuentum esse non so- lum mole conspicuum cetum, sed etiam, ad morem Brasilorū pictissimè variegatum, non hominis penicillo, sed naturæ ar- tificio. Cernebantur in eius lateribus plurimæ triremes velut coloribus scitissimè expressæ, cum suis remis, arboribus, an- tennis, velis, funibus, nautis, bellicis tormentis, inter flu- tuantes vndas velut impulsæ. Nonnullæ harum nauium, haud exigua magnitudine, circa ingentem quamdam triremē

IX,

Bizarr. pag.  
303.

LIII 2

stabant,

stabant, vndequaq; ad certamen, quàm optimè instructæ atque armatæ. Quædam aliæ reliquas tamquam harpagonibus iniectis, iam adoriebantur, & prælij acerrimi imaginem luculentam referebant. Quæ omnia naturali quodam miroq; artificio, in pelle & carne piscis expressa, cum eo adoleuisse videbantur, itaq; clarè & distinctè, vt tamquam spectaculû numquam antè visum, aut auditum, incredibilem omnibus vadique accurrentibus stuporem gignerent. Misit huius prodigii exemplar ad Hispaniæ regem Licentius Voleranus, vrbis Gibelterræ præfectus, per Ioannem Fructuosum scribam regium, eiusdem vrbis ciuem, qui testimonio sex grauium virorum, id verissimum esse dictitauit. Dubitare hic igitur, non de facto licet, sed de modo. Potuit, cùm partem hunc in vtero ferret, genitrix eius, aspecta in mari compugnantium classe, exterrita, imaginatione quadam, figuras oculis hauritas, foerui imprimere. Potuit Deus, quod futurum videbat, in piscem, velut in tabellam, inscriptum præmonere. Potuit vtrumque simul esse, vt & Numinis bonitas, & naturæ efficacia simul hominibus innotesceret. Si enim ars illa naturalis fuit, fuit vtique etiam natura ipsa valde artificiosa, cuius tam miro opere aspectu, dici potuit: *Benedicite cese, & omnia quæ mouentur in aquis, Domino.*

Dan. 3. 79.

X.

Anno salutis 1623. die Septembris octauo, seu in festo Beatissimæ Mariæ Virginis natæ, in Polonia, prope Warsauiam, in Vistula, eiusmodi monstrosus piscis captus est. Longitudo erat triginta sex pedum, crassities seu latitudo trium vlnarum, cum duabus partibus; altitudo decem vlnarum & itidem semis. Huic tam vasto pisci caput erat, instar hominis, carneum; quin & cetera erant instar carnis humanæ, ac mollia, sed squamis ita duris atque asperis amicta, vt cornu esse putarentur. A capite, per collum, vsque ad caudam, cruces, tamquam stellæ quædam per cælum, dispersæ cernebantur. Quæ omnia si cui minùs mira esse censentur, audiat magis portentosa. Siquidem nulla vmquam Pallas adeò armata, neque ita Mars ipse adamantina tunica tectus horridè bellum spirauit. Pesci enim huic, in tergo tormentum curule, seu  
is rotis

is rotis nixum, impositum stabat, & antrorsum quidem os porrigebat, ad ignem expuendum; retrorsum autem syrma à dorso proiectum trahebat, more draconis. In pinnis rotundi hærebant globi, infra supraq; transfixi. Ad latera vtrimque longæ velut hastæ suspendebantur. Armamentariū quoddam esse credidisses. Neque deerant bipennæ in modum crucis decussatæ vexillum vtrimque secus insignientes. Atque ne naturam existimes illitteratam, vni vexillo litteræ A. D. I. H, alteri F. R. F. inscriptæ legebantur, interpretatione spectatori- bus relicta. Præter hæc, gladius & fistula ænea iaculationibus apta, itemq; mortui hominis caput cute & carnibus denudatum, vt in cranio mortis effigies esset, nec non vndique tubera, vulnere, cicatrices, exprimebantur. Cauda sanguinei coloris erat, fissa in eum modum, vt prærubra quædam parua spicula in vnum fascem viderentur colligata; multi ea sagittis similia esse dicebant. Habebat hic piscis etiam duos pedes, admodum diuersos, alter aquilino, alter leonino similis fuit. Referebatur hoc monstrum non in nouis tantum publicis, sed etiam typis ac penicillo effigiatum vendebatur. Quid mysterij indicârit, multa ingenia diuinauerunt; clarissimè detexerunt bella atrociora inde continuata. In confesso sunt aquæ maris, & Iordanis stantes, & ad instar montis intumescences, vt siccam darent viam transituris, de quibus Iosue prædixit: *Cras faciet Dominus inter vos mirabilia.* Verum etiâ hæc miracula sunt, non propriè monstra, de quibus agere non est nostrum institutum. Et quæ perstricta sunt, affatim docent, satis superq; in aquis siue monstrorum, siue miraculorum extitisse.

Exod. 14. 22.  
Iosue 3 15.  
Ibid. 7. 5.

In terris, quid monstra diu quæramus, cum ipsæ sint etiam, multis in locis satis monstrosa? *Motus animæ terre, aë naturalis historię author, sileantur, & quidquid est, ubi saltem busta urbium extant: simul vt terra miracula potius dicamus, quàm scelera natura. Et Hercule non celestia enarrata difficiliora fuerint. Metallorum opulencia tam varia, tam diues, tam fecunda, tot sæculis suboriens: cum tantum quotidie in orbe toto populentur ignes, ruina, naufragia, bella, fraudes, tantum verò lu-*

XI,  
Plin. lib. 2.  
nat. hist. c. 93.

xuria, & tot mortales conterant: gemmarum picturam malis-  
plex, lapidum tam discolorum macula, interq; eos candor alicuius,  
præter lucem omnia excludens: medicorum fontium vis: ignis  
tot locis emicantium perpetua tot seculis incendia: spiritus letalis  
alibi, aut scrobibus emissi, aut ipso loci situ mortiferi; alibi volucri-  
bus tantum, ut Soracte vicino urbi tractu: alibi præter hominem ce-  
teris animantibus: nonnumquam & homini, ut in Sinuesano agro &  
Puteolano: spiracula vocant, alij Charoneas scrobes mortiferum spi-  
ritum exhalantes &c. Quadam verò terra ad ingressu tremant,  
sicut in Gabiensi agro, non procul urbe Roma, ingera ferme trece-  
ta, equitantium cursu: similiter in Reatino. Quadam insula sem-  
per fluctuant, sicut in agro Cacubo, & eodem Reatino, Mutinensi,  
Statoniensi. In Vadimonis lacu, & ad Cutilias aquas opaca fluit,  
quæ numquam die ac nocte eodem loco visitur. In Lydia, quæ voca-  
tur Calamisa, non ventis solum, sed etiam contis, quò libeat impu-  
sa, multorum cinium Mithritatico bello salus. Sunt & in Nymphæ  
parue, salutes dictæ, quoniam in symphonia cantu ad ictu modu-  
lantium pedum mouentur. In Tarquiniensi lacu magno Italia, du-  
nemora circumferunt, nunc triquetram figuram edentes, nunc ru-  
rundam complexu, ventis impellentibus, quadratam numquam.

Ibid. cap. 94.

Ibid. cap. 95.

Ibid. cap. 96.

XII.

Hæc, si veri sunt naturæ effectus, etsi non vniuersim sint  
vera terræ monstra; sunt tamen pleraque veris monstris simili-  
lia, videntur enim vtique à consueta, secundum speciem dispositio-  
ne deniare. Neque enim ordinario naturæ tenore terra tremat,  
aut siluæ saltant. Quamquam alia multò monstri nomine dig-  
niora in terris reperiuntur. Si enim naturæ iniuria facta est,  
quando pro monstro habitum est, quòd Tiberio principante,  
maximus, post hominum memoriam, terræ motus contigit,  
quo duodecim vrbes Asiæ, vna nocte prostratæ sunt; verum  
certè monstrum extitit, quando L. Martio & Sex. Julio Colla  
in agro Mutinensi duo montes inter se concurrerunt, crepitum  
maximo assultantes, & recedentes, & inter eos flamma fumoq;  
exeunte. Quo concursu villæ omnes elisæ, animalia permul-  
ta (quæ intrâ fuerant) exanimata sunt. Nec sine prodigio,  
monstra

moriente Christo, velum templi scissum est in duas partes à summo usq; deorsum, & terra mota est, & petra scissa sunt, & monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.

Matth 27. 51.

Quòd si iam siue ad viuientia, siue ad ea corpora mixta quæ vita carent, progressum faciamus, ipsos quoque lapides, ipsas arbores monstrosas inueniemus. Quippè Ionstonus Anglus vir doctissimus, in admirandis Fossilium hæc habet. Cùm Henricus II. rex Gallia Bononie esset, allatus est ad eum ex India Orientali, ab incognito homine, sed, ut apparebat moribus, barbaro, lapis stupenda specie & natura; videlicet lumine & fulgore mirabiliter coruscans; quiq; totus velut ardens, incredibili splendore micabat; & iactis quoquò versus radijs, aerem luce, nullis propè oculis tolerabili latissimè complebat. Erat & hoc in eo mirabile, quòd terrà impatientissimus, si cooperiretur, sua sponte, & vi factò impetu confestim enolabat in sublime. Contineri verò includinè, nullo angusto loco, nulla humana arte, industriaue poterat, sed amplaliberaq; duntaxat loca amare videbatur. Summa in eo puritas: eximius nitor: nulla sorde, aut labe coinquinatus: figura species nulla incerta, sed inconstans, & momento mutabilis: cumq; esset aspectu pulcherrimus, contrectari sese tamen impune non patiebatur; & diutiùs contra adnitentibus, aut obstinatiùs cum eo agentibus incommodum afferebat. Quòd multi, multis spectantibus, sunt experti. Si quid fortasse eminus ex eo conando detrahebatur (nam durus admodum erat) nihilo minor fiebat. Huius virtutem ac vim esse ad complurima tum vtilem, tum præcipuè regibus necessariam, aiebat hospes, qui miraculum ostentabat, sed quam relaturus non esset, nisi ingenti pretio accepto. Hæc, ut in litteris Ioannis Pipini, oculati testis rei, qui in familia A. Montmorentij M. E. medicinam faciebat, ad Anton. Mizald. & ipsum insignem medicum, pridie Ascensionis Domini, Bononia datis descripta sunt. Ita trado, inquit Thuanus lib. 5. Hist. & ampliùs discutienda Physiologis relinquo. Ego, etsi huic traditori parùm credo, tamen magis magica fuisse censeo, quàm fabulosa. Quamquam lapidem ipse alium in manu habui, & sæpius expertus sum, eum interdum soli, noctu luceræ exhibitum, ita lumen radiosque imbibisse; ut

XIII.

Ionst. in Admirand. Fossilium. c. 32.

(contra

(contra naturam luminis, alioqui non diutiùs perseverantis, quàm à præfente corpore luminoso conseruatur) etiam à sole, vel lucerna remotus, & in obscuro loco, aut pileo aspectus adhuc velut ardens lumen retineret.

XIV.

In metallis quoque pro monstro habitum est, quòd, imminente Romanis primo ciuili bello, mures *aurum* in templo roferint, & capta ex his femina quinos masculos in municipula enixa sit, quæ tres ex illis deuorauit; *tubarumq;* clangor in aëre concreperit. Nequaquam aliàs auro mures, sed fures insidiantur; & tubarum clangor in aëre, ob ipsam tubarum & tubicinum absentiam est prodigiosus; sicut & in *nonis*

1. Cor. 15. 52.

*fima tuba erit. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.* Talia in ære signa multa contigerunt, si miracula pro monstris essent habenda, quæ non naturæ, sed diuinæ potentie effectus, quia naturæ vim ordinemque excedunt, non immeritò prodigia saltem vocantur, tamen si vera monstra non sint, cum non sint naturæ aberrantis. Duo eiusmodi exempla, paulo infra referemus, de significato monstrorum acturi. Hac sola hic abundè nos excitare possunt, ad laudes Domino dicendas, *qui facit mirabilia.*

Iudic. 13. 19.

XV.

Valer. Max.  
lib. 1. cap. 6.  
Plin. lib. 8.  
Nat. hist. c. 18

Viuentium plura occurrunt vel ficta, vel vera monstra; & in plantis quoque. Sic in Boeotia derosæ à locustis sicut germinauerunt. Sic Laodiceæ, adueniente Xerxe, platanus in oleam mutata est. Sic Neronis principatu arbores dicuntur sedem mutauisse. Sic Trallibus, in eade Victoriæ, palma viridis, sub Cæsaris statua, inter coagmenta lapidum iustæ magnitudinis enata est. P. Ælio, Cn. Cornelio Coll. quo anno superatus est Annibal, in arboribus nata sunt frumenta. Et C. Lepidus, apud Plinium testis est, arbores locutas, ac olius in totum ambusta reuixit. Quæ, si vera sunt, idem de his arboribus sentiendum est, quod de quercu Dodonæa Stygijs arboribus loquace. *Prope Harleuium, ait Ionstons, Rhabarbarum Anno 1585. erutum, humanam manum cum unguibus, & distimulissimis digitorum lineamentis obtinens. Piceturam Leida, apud D. Bodarcium vidimus.* Putantur quedam prodigiosa, quia inuicta nobis, licet consueta naturæ. Ita sub imperio Prece Ioannis

Herodot. l. 2.  
Ionstons. in  
admirand.  
cap. 35.

nis, ex arena quotidie procreſcunt arbuſcule quedam, vſque ad meridiem, poſtea ad occaſum ſolis denuò redeunt in terram, ita vt non ampliùs appareant. *Atque hoc quotidie, ait Monteuillanus. Fructus, quos ferunt, nemo carpit metu ſcinationis; qui ſanè non imprudens eſt: quamquam & flores quidam, vno duntaxat die perdurant; vt adeò & naturè hoc poſſe eſſe opus. Redire autem in terram eiufcemodi plantæ videntur, dum aridè decidunt, & in puluerem rediguntur, ſicut homo natus de muliere, breui viuens tempore, qui quaſi ſlos egreditur, & coneritur, & fugit velut umbra. Quia omnis caro vt fœnum; & omnis gloria eius, tamquam ſlos fœni: exaruit fœnum, & fœci decidit.* Sagunti puer reuerſus eſt in vterum matris, eo anno, quo Saguntus ab Annibale deleta eſt, cur plantè non poſſent a què citò in gremium matris ſuæ reuerti? Sunt animalia quædam ephemera, cur non & terræ germina poſſint eſſe talia? Sæpe aliquid naturæ monſtrum putatur, quod aliunde eſt oriundum. Megaris diu ſtetit Oleaſter in foro, quæ arbor fatalis habebatur excidio vrbi præmonitè oraculo, cum arbor arma peperiſſet, quod ſuccisè accidit, ocreis galeisquè intus repertis; quia olim viri fortes illi ſua affixerant arma, quæ cortice etas longa ambiente occultauerat. Ni priùs ibi ſuſpenſa fuiſſent, numquam arbor illa arma peperiſſet. Ad eundem modum credibile eſt, imagines quaſdam ſacras arboribus appenſas, corticibus inuolutas, & à tempeſtate atque imbribus ſeruatas, in pietatem poſteriorum, quorum tempore detectæ & inuentæ fuerunt, vt tanto emolumento, quanto ſtudio colerentur.

In beſtijs, ſimili euentu, diſſimili ortu, duo monſtra reperta ſunt, noſtro tempore, cum enim in lapidina quadam petra ingens ferramentis finderetur, apparuere duo canes, capacem ſui, in eadem petra, concauitatem replentes; abſque omni ſpiraculo. Videbantur ex leporariorum genere; ſed truces vultu, quaſi ex Cerberi proſapia; odore graues, quaſi ex Auerno; pilorum expertes. Et vnus quidem citò defecit; alterum ſtupendæ edacitatis Henricus Wintonienſis Epicoſpus, multis diebus in delicijs habuit. Refertur ibidem ab eo-

M a m m a d e m

Monteuill.  
pag. 125.

Iob. 14. 1.  
1. Petr. 1. 24.

Plin. lib. 16.  
cap. 39.

XVI.  
Ncobrug. c. 2.



dem authore, de bufone, ad eundem modum, inter saxa, cū torque aureo inuento. Aurum intra montes nasci posse scimus, non item torquem aureum. Nec bufones inibi posse gigni negarem; canes autem crescere, velut vermes, aut lapides, nemo mihi persuaserit. Facile autem est spiritem malo vitam aperire, & talia in tali carcere includere, aut canem bufonemq; agere. Qua arte virginem vultu retulit, quando, in venatu, sitienti comiti Oldenburgico, è rupe velut ostio ducta progrediens, scyphum illum argenteum obtulit, qui adhuc ostenditur, miris multisq; emblematis calatum.

XVII.  
Valer. Max.  
lib. 1. c. 6.

Multi alia non solum mirabilia, verum etiam monstra acciderunt circa bestias. *Præcipua enim admirationis sunt etiam illa prodigia, quæ P. Velumnio, Ser. Sulpicio Coff. in urbe nostra, inter initia motusq; bellorum acciderunt. Bos namq; mugitu in humanum sermonem conuerso, nouitate monstri, audientium animos exterruit. Carnis quoq; in modum nimbi dissipata partes ceciderunt: quarum maiorem numerum præpetes diripuerunt aues, reliquum humi percussit. Eiusdem generis monstra alio tumultu credita sunt. Siquidem bello etiam Punico secundo constitit, Cn. Domitio bonum dixisse: Caue tibi Roma. Antè paullò, quàm Augustus Imper. factus esset, bos in suburbano Romæ ad arantem locutus est, frustra se vrgeri: Non enim frumenta, sed homines breui defuturos. Quæ boni malique Angeli virtute fieri potuisse, ostendunt illa sacra scripturæ verba: Aperuitq; Dominus os asina, & locuta est: Quid feci tibi? cur percutis me? ecce iam tertio? Et rursum: Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consuevi usque in presentem diem? die, quid simile unquam fecerim tibi? Quàm diserta fuit asina Balaam? & fieri non posset, vt alie quoque bestie loquerentur, Deo volente, aut spiritu verba, in ore earum, formante, plectrumq; linguæ in sermonem quaticiente? Potuit ergo loqui asina, & non possit vacca? eiusdem vtrumque animal ingenij ad lyram? Dario Babylonem obsidenti vox è muris reddita est, urbem ipsam tunc à Persis captum iri, cùm mula pareret. Quo præfagio omnes capiendæ urbis desperatio iam ceperat, donec Zophyri Persæ mula enixa est.*

Num. 12. 13.

Et quia de mulis mentionem fecimus, quæri potest, an non & ipsæ mulæ in monstrorum censu sint ponendæ? Certè eas à natura deuiare ostendunt progenitores, & sterilitas eorum; licet, quia consuetæ, & ordinarij talium parentum partus, vulgò pro monstribus non habeantur. *Observatum est, ait Plinius, e duobus diuersis generibus nata, tertij generis fieri, & neutri parentum esse similia: eaq; ipsa, qua sunt ita nata, non gignere Idcirco mulas non parere. Est in annualibus nostris, peperisse sepe, verùm prodigij loco habitum. Theophrastus vulgò parere in Cappadocia tradit: sed esse id animal ibi sui generis.*

Inter homines monstra existere deformantia naturam, experientia testatur quotidiana. Adstipulatur & D Augustinus, quo memorante, *apud Hipponem natus est homo quasi lunatas habens plantas, & in eis binos tantummodo digitos, similes & manus. Qui idem Pater eodem loco ait: Ante annos aliquot, monstra certè memoria, in oriente duplex homo natus superioribus membris, inferioribus simplex. Nam duo erant capita, duo pectora, quatuor manus, venter autè vnus, & pedes duo, sicut vni homini: & tam diu vixit, vt multos ad eum videndum fama contraheret. Quod eum ita sit, apparet nihil nimium finxisse Poetas, quando ab illis forma tricornis umbra Geryonis est introducta. Certè, apud Cedrenum, Imperantibus Constantino Leonis Philosophi Imp. F. & Romano Lacapeno, ex Armenia allatum est monstrum, Constantinopolim, pueri masculi concreti, uterini, iug, vt infelix oman, vrbe sunt eiekti. Redierunt sub Constantino: & cum alter mortuus esset, peritioros medici cadaver à vino reseruauerunt, parum tamen diu alter superuixit. Visi sunt & alij monstrosi vel partus, vel euentus. Inter initia Marsici belli peperit quædam ancilla serpentẽ. Hæreticus alioquin author scribit. An. 1552. in Hassia Wirzenhansia, tertio post festum trium Regum die, infantem masculum bicipitem, collo duplici, duobus capitis ac corpore optime cum reliquis membris composito natum; cuius monstri occasione, nouum in ea prouincia Euangelium monstrosè nobilitat.*

Aiunt, Romæ, in quodam tumultu, infantem semestrem, in foro boiario triumphum proclamasse: Alium cum elephantino capite natum, Vtrumque monstrum erat. De infantibus ante

M m m z                      gempus

XVIII.

Plin. lib. 8.  
nar. hist. c. 44.

XIX.

S. Augustini:  
lib. 16. de ci-  
uit, c. 8.

Sil. lib. 3:  
Virgil. lib. 6.  
Æneid.

Io. Gualter:  
in Chron. de  
prodigijs &  
ostentis. An.  
1552. lib. 2.

XX.

Valer. Max.  
lib. 1. cap. 6.

JIIVX  
 tempus locutis multa extant exempla, præsertim non sine di-  
 vina vi procurata. Sed cur os infantium aperire non possit,  
 Numi. 22. 28. qui potest os rudentiū in loquelā referare? Quod etsi non-  
 numquam fecit, non tamen censendus est facere semper. Stul-  
 titiam sapit, si non superstitionem, quod vulgatissimè tamen  
 creditur ab imperitis, equos scilicet, & boues, asinos, & om-  
 nia iumenta, quotannis, in sacratissima illa nocte Natiuita-  
 tis Domini nostri, solere loqui, & verò etiam vaticinari. Quæ  
 de causa etiam nonnullorum tanta est simplicitas, ut instabi-  
 lis tum vigilent, expectantes, & audire cupientes, quid bestia  
 loquantur, aut in annum sequentem prædicant. Quasi Deus  
 Luc. 23. 8. miracula velit perennare; aut, qui curiosa scire cupienti He-  
 rodi non respondit, per pecudes istas velit respondere, ut ho-  
 rum satiet curiositatem? Igitur nequaquam tunc bestia hu-  
 manum sermonem, sed homines bestiarum stuporem imitan-  
 tur. Quemadmodum & illi, qui quia audierunt, non solum hæc  
 nocte oleum pro consueto elemento fluxisse olim, verùm eti-  
 am alicubi semel ac iterum aquas fuisse in vinum commuta-  
 tas; illa ipsa sanctissima nocte media, quotannis, summo in-  
 frigore, os ad fontes applicant, arbitantes, se vinum pro aqua  
 hausturos. Non enim tunc fontes monstrôsè fluunt, sed illi  
 monstrôsè sapiunt, quorum pietas est bibere; & religio, Chri-  
 sti infantis loco, Bacchum osculari, digni quibus labia glaciæ  
 astricta, cum liquore tam desiderato concreverent. Non  
 opus est his fictis seu miraculis, seu monstris. Veritas, ne hinc  
 debeat mendicare, à se est opulenta. Sed hucusque plus facti  
 demonstratum est, quid, & quàm varia sint monstra, & quòd  
 eam omnibus rebus reperiantur. Plura suis quæque locis ap-  
 ponentur, quæ omnia dictis subscribent. Et ob hæc sola di-  
 cere vnusquisque potest: *Ego deprecabor Dominum, &  
 ad Deum ponam eloquium meum: qui facit ma-  
 gna & inscrutabilia, & mirabilia absq;  
 numero.*